DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
HÆMATEMESI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES CAROLUS OGILVIE,
SCOTUS,
CHIRURGUS,
SOCIETAT. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

——— *Crassum vomit ore cruorem.*
VIRG.

Pridie Iduum Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.
1805.

GULIELMO FORBES
DE
PITSLIGO

BARONETTO;

VIRO

LITERIS HUMANIORIBUS ORNATO,

CUJUSQUE

TAM PUBLICAS QUAM PRIVATAS,

CIVES,

ÆQUE DIVITES, INOPES ÆQUE,

RESONANT

VIRTUTES;

HANC DISSERTATIONEM,

GRATO ANIMO PERMOTUS,

CONSECRAT

JOANNES CAROLUS OGILVIE.

JACOBO GREGORY, M.D.

MEDICINÆ PRACTICÆ

IN

ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI;

VIRO

HAUD MINUS

HUMANIORIBUS ET RECONDITIS LITERIS,

ET HIPPOCRATICÆ ARTIS SCIENTIA,

QUAM

PUBLICIS ET PRIVATIS VIRTUTIBUS,

CONSPICUO;

HOC MONUMENTUM,

QUOD

ANIMUM TESTETUR BENEFICIORUM

MEMOREM,

DICAT

JOANNES CAROLUS OGILVIE.

JACOBO RUSSELL,

CLINICÆ CHIRURGIÆ

IN

ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI;

VIRO

LITERIS, VIRTUTIBUS, MORUMQUE SUAVITATE

ORNATO,

ET INDEFESSO

MACHAONIAM ARTEM COLENDI

STUDIO,

RARAQUE EXERCENDI FELICITATE

INSIGNI;

HOC

ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

TESTIMONIUM

DEDICAT

JOANNES CAROLUS OGILVIE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HÆMATEMESI.

AUCTORE JOANNE CAROLO OGILVIE.

OMNEM ætatem, utrumque sexum, hic morbus interdum adoritur. Alios tamen multo potius quam alios infestat; fæminas scilicet quam viros, illasque præcipue per id vitæ spatium, quo corpore sano fluunt menses. Hoc enim fluxu, quacunque de causa, vel omnino cohibito, vel nimis parco evadente, varia suboriuntur mala, quibus Hæmatemesin annumerare licet, quæ ideo virgines sæpius quam matronas afficit. Inter viros autem senes potius quam juvenes, atque præ cæteris eos, qui victu nimis lauto vel acri usi sunt. Illis item, qui morbo labo-

rant hypochondriaco, admodum familiaris esse dicitur.

Signa, quibus incipit morbus, ut plurimum hujusmodi sunt: Dolor scilicet calorque abdominis, ejusque præsertim partis superioris, oneris vel angustiæ sensus in regione epigastrica vel in hypochondriaca utrâque, earundem interdum tumoris aliquantum, pressûsque impatientia, cardialgia, salivæ profluvium, anxietas præcordiorum, respiratio difficilis, pectoris aut dorsi punctiones, crurum lassitudo sæpe cum sudoribus incertis, imprimis extremorum, calore et frigore sese invicem excipientibus. Interea, pulsu vario arteriæ micant, vertigine aut dolore caput afficitur, animusque interdum deficit.

Signis his, in variis exemplis, diutius vel brevius prægressis, accedit nausea urgens; et post plurimos vomendi conatus irritos, anxios atque vehementes, vomitu tandem sanguis, unacum rebus alimentariis quæ in ventriculo fuerant, ejicitur. Morbo hoc laborantes alvum plerumque habent adstrictam, sed præsertim aliquamdiu ante ejus impetum. Hoc autem decedente, haud raro

supervenit

supervenit diarrhœa sanguinea, prægressis sæpe torminibus viscerumque strepitu. Nonnunquam etiam totus sanguis effusus per alvum dejicitur: tum malum dicitur *Morbus Niger*, seu *Melæna*. Hi autem morbi parum inter se differunt; tum quod ad ipsorum causas, tum quod ad medendi rationem.

Sanguis sic ejectus, et quantitate et qualitate, multùm variat. Colorem habet plerumque subfuscum vel nigricantem; atque, cæteris paribus, quo diutius vomitum vel dejectionem signa alia sint prægressa, eo magis nigret sanguis ejectus. Nonnunquam autem paroxysmo subitò ingresso, vel diu perstante, cum vomitu iterato, sub ejus præsertim fine sanguis prorsus rubet. Plerumque etiam plùs minùs concretus; interdum autem penitus fluit. Quotiescunque rubet, fluidus licet ejectus sit, protinus concrescit. Niger autem, nisi concretus ejiciatur, nunquam concrescit. Alias, colorem spissitudinemque habet piceam. Interdum, nihil nisi serum cruentum, loturas carnium * referens, ejicitur. Aliquando, graviter olent res sic ejectæ; aliàs, odorem habent

 fere

* Vide Morgagni de Sed. et Caus. Morb. epist. xlix. 6.

fere nullum. Adeo, nonnunquam, commistus est sanguis cum rebus aliis, quæ in ventriculo fuerant, ut difficillime detegatur.

Ventriculo sic evacuato, levatus quodammodo videtur æger. Morbus in nonnullis omnino evanescit, nunquam rediturus. In pluribus autem mitescit solummodo, et iterum ingravescit; vel si omnia signa cessaverint, post aliquod tempus admodum incertum redeunt, et nunc longiore, nunc breviore temporis intervallo, repetentes, cibi appetitum minuunt, vires convellunt, et arteriarum pulsus debiliores frequentioresque reddunt. Os demum fœdum fit, et lingua interdum aphthis obsidetur, vultus pallet et collabitur. Morbus autem diuturnitate ac consuetudine confirmatus, gravius atque frequentius repetit, donec æger, singulis accessionibus magis magisque debilitatus, lenta demum tabe conficiatur.

Nec vero hæc omnia omnibus. Ægrum interdum accessus ipse jugulat. Complures autem sanguinem diu evomunt sine ullo valetudinis incommodo, ut haud rarò puellis evenit, mensibus obstructis.

obstructis. Nonnullis etiam non solùm innoxius est hic sanguinis vomitus, verùm etiam ad sanitatem conservandam nonnihil conferre visus est. In quibusdam enim hominibus ei assuetis, vel omnino cohibitus vel tantùm interruptus varios attulit morbos, redditus autem eosdem sustulit *.

SIGNA, quæ vomitui quasi prænuntia supra memoravimus, sæpissime, quidem, notabiliter, perque tempus satis longum, eundem antecedunt. Alii ventriculi dolorem nauseamque subinde, alii irritabilitatem visceris ejusdem morbidam, per annos aliquot ante morbi accessum, passi sunt. In quibusdam autem perbrevi solùm tempore, nec plane, apparent. Nonnullis etiam omnino absunt.

QUOSDAM morbus ipse aggreditur longe aliter ac supra dictum est. Quidam, anno ætatis 38vo, præcordiorum anxietatem, pondus ad scrobiculum cordis, lumborum dorsique dolorem, anorexiam orisque amaritudinem, diebus XIV. conquestus, sensu subitò privatus decidit, magnamque

* Hoffmanni Diss. de Morbo Nigro.

que vim sanguinis, picem referentis, et per os et per anum protinus effudit *.

ALIAM, cui Hæmatemesis jampridem erat sanata, dolore lateris vehementi atque totius corporis lassitudine, per dies aliquot, afflictam vehementes aggressæ sunt convulsiones animique deliquium, quo decedente, sanguis confestim per os effluxit, et paulo post, magna quantitate per anum est dejectus †.

CAUSÆ.

AD morbum hunc proclivitatem dant, 1*mo*, Ea quæ plenitudinem corporis inducunt; 2*do*, Ea quæ sanguinis congestionem in vasis tantùm ipsius ventriculi efficiunt; et, 3*tio*, Ea quæ ventriculi vasa debilitant.

VARIAS inter causas, quibus oriri putatur, fere nullas, apud auctores, crebrius memoratas quam profluvia consueta suppressa invenimus. Nec revera

* Richter, Obs. XXXVIII.

† Ibid. Obs. XXXIX.

revera negandum est talibus Hæmatemesin sæpissime induci. Illos enim potissimùm infestat, qui profluviis periodicis maxime sunt obnoxii; iisque, præ cæteris, temporibus quibus hæc profluvia frequentius supprimuntur.

Ubi fluxum assuetum obstructum excipit Hæmatemesis, officiis compluribus salutiferis sæpe fungitur, iisdem intervallis repetit, atque suppressa, nec fluxu pristino adhuc reddito, mala inducit iis consimilia, quæ ex prioris suppressione oriri solent. Hæc autem plerumque talia sunt qualia plenitudinem universam indicare videntur, quæ corporis conditio hæmorrhagias sæpe inducere plane apparet. Sed an mera plenitudo Hæmatemesin efficere possit, necne, multùm dubito. Aliquid præterea requiritur, quod sanguinem in ventriculum potius quam cæteras corporis partes impellat; cum aliæ sint partes, per quas, ceteris paribus, multo facilius quam per ventriculum sanguis profluere possit. Complura enim sanguinis profluvia multo crebrius accidunt quam Hæmatemesis.

Fluxus, qui suppressi morbum hunc potissime

mæ efficiunt, in fœminis sunt menses, in viris hæmorrhois.

CADAVERIBUS eorum sectis, qui Hæmatemesi mortui sunt, in visceribus quibusdam chylopoeticis, præsertim in hepate splenęque, varia apparent morbida. Horum nonnulla, sine dubio, morbi hujus effectus habenda sunt. Sed multo plura ipsius causæ esse videntur; hepatis, scilicet, splenis pancreatisve quidam affectus, qui sanguinis congestionem in vasis ventriculi efficiant. Hæc enim viscera sanguinem ex aorta, per truncum eundem arteriosum, ac ventriculus derivat. Arteriæ hujus propriæ partim ex eo trunco rectà, partim ex arteriis hepaticis splenicisque proveniunt; unde fit ut quo minus sanguinis horum viscerum alia accipiant, eo plus ad alia transmittatur. Hepatis igitur, splenis pancreatisve vasis obstructis, ventriculi vasa nimis plena fiunt, et ideo ad morbum hunc valde proclivia.

HEPAR obstructum non solùm sanguinis arteriosi plus justo in ventriculum immittit, verùm etiam venosum tardat ab eo refluentem, quippe cui per venam portarum toti transeundum sit.

VEN-

VENTRICULI vasis debilitandis præcipue nocent corrosiva omnia, venena, et quocunque de genere acria in ventriculum demissa. Hæc plerumque vomitum cruentum fere instanter concitant; sed si tam mitiora sint, vel copiâ minora, quam quæ hoc efficiant, proclivitatis plus minusve, pro viribus ipsorum atque copiâ, tantùm inducunt.

RATIONE fere câdem morbum inducunt complura ex cibariis usitatissimis, spirituosa scilicet, aromatica omnia atque cibi plerique duri, aut sale, fumo, pipere conditi et indurati. Hæc non solum ventriculi vires adeo debilitant, ut officiis solitis vix fungi possit, verum etiam, appetitu cibi fallace pro tempore concitato, officia hæc adaugent quæ minui potius debent.

EBRIOSITAS cibusque nimis stimulans, post aliquod tempus, hepatis aliorumque viscerum mala efficiunt, quæ vasa eorum obstruunt, ideoque ad Hæmatemesin duplici ratione hominem reddunt proclivem.

QUAMVIS hoc morbo laborantes diarrhœa sanguinea haud raro infestet; pluribus tamen, ut

antea diximus, alvus pertinaciter est adstricta. Hoc signum in puellis præcipue observatum est; quæ hujus morbi accessiones crebras gravesque passæ sunt, sine ulla alia evidente causa, quæ effectus tales edere potuisset.

Solus est, ni fallor, celeberrimus Jacobus Hamilton, Nosocomii Regii Edinensis medicus senior, qui animum in hanc causam multum intendit; saltemve primus est qui consilium medendi inde cepit. Richterius quidem purgantibus satis libere usus est; ad hæc autem decurrit per paroxysmum tantùm, quo sanguinem effusum evacuaret, irritamenque quod ipse vocat biliosam amoveret. Quum contrà Doctor Hamilton, in casibus saltem jam dictis, hujusmodi potissimùm remediis ad morbum penitus tollendum, persæpe confidere videatur. Taliaque ab illo administrata remedia tam sæpe in salutem cesserunt, ut dubitare nequeam quin inter Hæmatemesis causas alvi durities jure sit recensenda, multò sæpius quam a priori putavissemus.

Quacunque de causa morbus primò effectus sit, hæc tamen alvi conditio, quotiescunque insignis,

signis, malum valde adauget, ideoque medici attentionem jure sibi vindicat.

Causæ Excitantes habentur vulnera, ictus, contusionesque circa abdominis partes superiores, ex alto casus, vel denique conatus omnes subiti ac vehementes; hos enim musculorum respirandi omnium contractiones consentaneæ semper comitantur, ita ut viscera abdominalia æque vehementer ac subitò comprimantur.

Bilis profluvium inter morbi hujus causas a nonnullis enumeratur: Hinc fortasse evenit ut, in hominibus plenis ac biliosis, ira interdum Hæmatemesin excitaverit.

Adolescentula quædam *, cui menses ad normam fluebant, nec ulla causa Hæmatemesin effectura adesse videbatur, nisi quod iracunda admodum erat, post iram vehementem Hæmatemesi est correpta. Medicamentis purgantibus aliisque frustra tentatis, vomitorium tandem datum est, et, magna vi *bilis* viridis ex ventriculo ejectâ, morbus illico solutus est. Nonne pro-

* Vide Richter's Med. & Surg. Observ. obs. xxxvi.

fluvii aliquid biliosi indicare videtur oris illa amaritudo, de qua sæpissime conqueruntur qui hoc morbo ægrotant?

RATIO SIGNORUM.

CUR FÆMINIS TANTO FAMILIARIOR QUAM VIRIS * ?

Ex supra memoratis videtur hoc, ex parte saltem, oriri ex illarum ad profluvia consueta obstructa proclivitate majore. Alia autem plurima ad idem efficiendum multum conferunt. Vitam magis sedentariam quam viri agunt, atque intemperantiæ licet ipsi haud ita deditæ, victu tamen multò nimis lauto, pro corporis exercitatione, pleræque utuntur. Hinc oriuntur plenitudo, obesitas, et varii ventriculi morbi, quorum plurimi visceris hujus vasa magnopere debilitant, atque plus æquo sanguinis ad eum invitant; unde ad Hæmatemesin proclivitas.

PRÆTEREA

* Vide Hoffman. Diss. de Vomitu Cruento, Th. x.

PRÆTEREA, procreandi inter ætatem, fœminæ ad corporis plenitudinem, plusquam viri, naturâ sunt proclives *; fortasse ut melius fœtum alant quem gestare debent.

HOFFMAN †, qui multum spasmo utpote causæ proximæ attribuit, fæminas obnoxiores putat ob teneritudinem earum majorem, quippe quæ irritabilitatem mobilitatemque sæpe morbidam secum afferat. Hæ autem, nimiis et corporis et animi motibus concitatis, distributiones sanguinis abnormes efficiunt.

E SANGUINIS evomiti solo aspectu judicantibus concludere liceat, nihil nisi venosum plerumque per ventriculum effundi. Hanc autem opinionem, et aliorum profluviorum analogia et alia hujus morbi propria confutare videntur. Fæminæ, quibus multò quam viribus familiarior est, ad plenitudinem *arteriosam* magis sunt proclives. "Habent enim, fæminæ multorum, fortasse omnium animalium, arterias haud parum capaciores et laxiores, cum venis comparatas, venasque ipsas multò

* Vide Hoffman. Diss. de Vomitu Cruento, Th. x.

† Ibid.

multò minores quam mares ejusdem generis *."
Observatione, præterea intelligimus sanguinem in ventriculum vel alvum, quacunque de causa, receptum, ibique per tempus aliquod retentum, talem fieri aspectu, qualis hoc in morbo ejicitur. Quomodo sic mutetur nondum satis constat. Hæc tamen mutatio cibique concoctio aliquid fortasse inter se commune habent. Sanguis enim, quo diutius est retentus, cæteris paribus, eo plus mutatus. Ubi et ore et ano erumpit, ut haud raro accidere videmus, prius evomitur quam alvo dejici incipiat: atque dejectus (quippe cui per canalem longiorem transeundum sit) nigrior est quam vomitus. Haud tamen hinc sequitur sanguinis aspectum semper vere indicare, quamdiu ante e vasis effusus quam e corpore ejectus fuit. Cum hæc mutatio aliis quibusdam causis partim quoque pendet; concoquendi scilicet viribus, sanguinis conditione cum effunderetur, canalisque parte in qua effusus sit.

Pulsus arteriarum defectus subitus, extremarum corporis partium frigus vel etiam animi deliquium, quæ hunc præ cæteris sanguinis profluviis

* Gregory Conspect. Med. Theor. par. 450.

viis comitantur, neutiquam a sanguinis amissi copia tam oriuntur, quam a morbi ipsius vi sanguinisque effusi in ventriculum actione. Hinc fit ut sanguinem evomitum signa hæc plerumque antecedant; ventriculo evacuato sensim mitescant. Sanguinis copia ab alia parte in ventriculum etiam *sanum* recepta, effectus similes, mitiores autem, præbet. Haud igitur mirandum est, si viscus naturâ adeo sentiens tenerumque valde laboret cum, morbo debilitatum, sanguine effuso irritetur, et si ventriculo sic affecto totum corpus multum consentiat.

Hinc quoque causam dare possumus, qua vires vitæ circa morbi finem tam subitò dilabantur, et medicamenta omnia ægrum tam parum efficiant. Frequentibus enim diuturnisque morbi accessionibus non solum corpus multùm debilitatur, verum etiam, ventriculi viribus sic deletis, refici non potest.

DIAG-

DIAGNOSIS.

Morbi quos adeo refert ut distinctione eos inter opus sit, sunt præcipue hæmoptysis et sanguinis a naribus posticis, a faucibus, vel ab œsophago profluvium.

Hæmoptysis quidem plerumque ab Hæmatemesi facile dignoscitur: duo tamen morbi adeo interdum sese invicem referunt ut nisi signis omnibus attentissime observatis, vix internosci queant. Nec hujus vomitio nec illius tussis semper sunt propriæ. Quum enim vomitus et tussis sese mutuò sæpe excitent, eodem tempore accidere, ideoque, an e pulmonibus ventriculove sanguis ejiciatur, dubium reddere possunt *. E pulmonibus nonnunquam sanguis sine tusse ulla excreatur. Si quacunque igitur de causa concitetur vomitio, eodem tempore quo sic exscreatur sanguis, verisimile est medicum, nisi animo attento omnia perscrutatus fuerit, deceptum iri. Nec omnino quidem incredibile est, talia signa concurrere

* Vide Cullen's First Lines, Paragr. 845.

concurrere posse; quum mire inter se pulmones atque ventriculus consentiant.

Nec minus incertus est sanguinis ejecti aspectus. Plerumque licet sanguis e ventriculo ejectus, longe alium ac e pulmonibus extussitus speciem præ se ferat; nonnunquam autem tam ruber * evomitus est quam e pulmonibus excreari solet, et interdum etiam nullis rebus alimentariis admistis. Contrà autem talis admixtio in quibusdam hæmoptysis exemplis accidit; iis scilicet in quibus vomitus, inter sanguinem e pulmonibus excreandum, concitatur. Ubi spumosus sanguis ejicitur, a pulmonibus venisse concludere licet; haud tamen contrà ab iis non venisse toties concludendum est, quoties spuma absit.

Verum tametsi nullum sit signum, quod solum sufficiat ad hoc discrimen, omnibus tamen consideratis, animoque ad ægri ætatem sexumque præcipue verso, alterum ab altero morbo satis accurate dignoscere possumus.

Hæmatemesis, cum aliis profluviis comparatus,

* Vide Richter's Obs. xxxvi.

tus, admodum rara est, eosque vix unquam aggreditur qui ad hæmoptysin maxime sunt proclives, viros scilicet adolescentes. His autem si fortasse obveniat, e causis fere semper oritur tam manifestis ut morbi naturam satis ostendant.

In Hæmetemesi plerumque sanguis majori copia citiusque erumpit quam in hæmoptysi, neque hunc epigastrii dolores aliaque ventriculi mala, quæ Hæmatemesin indicant, verùm manifesta pulmonum morbi signa fere semper comitantur et plerumque antecedunt.

Hæmoptysi affectus haud sanguine ejecto levatur ut in Hæmatemesi accidit. In hoc morbo, pulsus arteriarum debiles fiunt priusquam sanguis jiciatur, in altero non nisi magna vi sanguinis prius exsputa.

Quoties sanguinis per os ejectionem et vomitio et tussis comitantur, suscitandum est uter prior acciderit. Vomitionem, quæ in hæmoptysi occurrit, sæpe concitat sola tussis et, vice versâ, Hæmatemesis, pulmonibus agitandis vel glottidi irritandâ, tussim concitare potest.

Certiores

Certiores quoque fieri debemus quomodo se habeat alvus. In Hæmatemesi vel astringitur vel fluxu afficitur cruento, plerumque atro, sæpe fætido. Quotiescunque alvum sic fluere intelligamus, haud amplius dubitandum est unde veniat sanguis, qui per os ejicitur.

Sanguinis vomitio dejectioque existere possunt sine ventriculi morbo, scilicet, sine Hæmatemesi strictius dictâ, profluvio nimirum e pharynge, œsophago, naribusve posticis, unde sanguis effusus in ventriculum descendit; et, si magna sit copia, hoc viscus adeo irritat, ut sursum vel deorsum expellatur. Hanc tamen affectionem haud comitantur dolor ventriculi pungens calorque supra descripta: Signa fere omnia leviora; nonnullaque fere semper adsunt, qui fontem profluvii verum indicant; dolor scilicet gutturis capitisve, vertigo, titillatio faucium, vel sanguinis per nares anticas fluxus.

DE CURATIONE.

Medendi consilia præcipua duo sunt: I. Profluvium sistere, signaque comitantia levare; et, II. Cavere ne redeat morbus.

Signorum gravissima accessionem comitantia, quippe quæ a sanguine effuso ventriculumque opprimente manifeste oriantur, oppressionis hujus causâ remotâ, sublevabuntur. Ventriculus igitur quamprimum exonerandus est. Sanguis enim, præterquam quod ægrum anxietate doloribusque cruciat, ventriculo etiam irritando ejusque vasis debilitandis, morbi signa omnia magis magisque augebit. Præterea, nisi ventriculo prius evacuato, nihil, vel minime tantùm, prosunt medicamenta quæ in ventriculum ipsum agere debent; nempe, quia superficiem ejus affectam attingere nequeant.

Cavendum est tamen ne, in hac evacuatione afficiendâ, remediis utamur magis perniciosis, quam malum quod tollere cupimus; qua de causa,

causa, medicamenta purgantia vomitoriis præferenda sunt. Vomitoria enim, et ventriculo visceribusque vicinis et corpore toto vehementer agitatis, nauseâque molestâ concitatâ, ventriculum porro debilitant inque eum plus justo sanguinis impellunt. Purgantibus autem, ob eandem causam, mitioribus uti debemus; si modo, ad alvum probe evacuandam, satis valeant.

HAUD raro accidit ut vomendi conatus constantes impediant ne medicamentum fere ullum ventriculo retineatur. Rebus sic se habentibus, multùm sæpe prosunt lotiones purgantes, præsertim ubi alvus torpet; hæc enim adstricta sola vomitionem nonnunquam inducit, soluta eandem tollit. Interdum, adeo valent lotiones ut, adjuvante sanguinis effusi stimulo, alvus, sine aliis catharticis, fuse expurgetur, vel saltem vomitio adeo sedetur ut medicamenta idonea accipiat retineatque ventriculus.

MORBUM hunc, ut supra dictum est, haud raro comitatur diarrhœa spontanea; plerumque autem hæc sero venit, nec satis valet; nunquam igitur expectanda est aut purgantium usus tem-

pestivus

pestivus negligendus; ne quidem si levior alvi fluxus superveniat, præcipue si tormina comitentur vel tenesmus. Purgantia enim mitiora, apte cauteque data, non solum magis efficaciter, verùm etiam citius faciliusque alvum exinaniunt.

Omnibus his remediis frustrà tentatis, vel alio quovis modo adeo ventriculus pacandus est ut medicamenta idonea retineat, vel aliis remediis paroxysmo finis est imponendus.

Ad nauseam vomitumque immodicum cohibenda varia quotidie dantur, quorum plurimis hìc quoque uti licet; exceptis autem aromaticis fortioribus et quocunque de genere calefacientibus. Consilio nostro aptissima videntur acida quædam; præcipue Carbonicum, Acetosum, Sulphuricumque satis dilutum. Horum duo proxime nominata non solum vomitum immodicum cohibent, verùm etiam, utpote adstringentia, ad sanguinis profluvium reprimendum nonnihil rectà conferre possunt. Quibusdam in casibus, sævissime urgente vomitu, remediisque supradictis nihil juvantibus, opium maxime pro-

dest,

dest. In hunc finem, formâ solidâ nulloque cum additamento, dandum est, ad semigranum, pro re nata repetendum.

Dicant fortasse nonnulli opium, utpote stimulans, non sine magno periculo in ventriculum, sanguinis profluvio affectum, recipi posse. Nec dandum est, nisi ad irritationem tollendam multo periculosiorem ; quicum comparata, opii vis stimulans sæpe fere nihil est. Non affirmare in animo est, semper, etiam cum talis adsit irritatio, opium sine periculo dari. Si inflammationis signa comitentur, vel, corpore pleno, tales morbum excitaverint causæ, quales inflammationem simul inducant, hoc remedio cautissime utendum est ; nec unquam, nisi inflammationis signis corporisque plenitudine prius sublatis. His autem peractis, adeo plerumque mitescunt ventriculi affectus, ut opio rarissime opus sit.

Quamprimum vomitus sedatur, purgantia minime nauseosa, donec soluta fuerit alvus, sumantur.

Post alvum plene expurgatam, persistente tamen

tamen morbi paroxysmo, præsertim si sanguis in ventriculum adhuc effundi videatur (sanguine scilicet evomito florido rubro, atque levamine tantum fugace a vomitione accepto), ad alia quæ adversus sanguinis profluvium pollent remedia, confugiendum est. Horum alia aliis hominibus conveniunt. Sanguinis missionem perpauci vel requirunt vel facile tolerant, exceptis tamen iis, quibus opium non convenire jam monui. Plerumque utilissima sunt adstringentia mitiora, præsertim acida supra nominata. Nonnunquam, vires vitæ adeo, per accessionem, deficere videntur ut medicamenta cardiaca dare cogamur. Horum optimum, utpote simul adstringens, est vinum Lusitanicum rubrum. Frigus, in aliis quibusdam sanguinis profluviis tam salutare, in hoc etiam nonnunquam prodest. Potus frigidos crebris haustibus bibat æger * ; sed frigus, aliter adhibitum, anceps remedium esse videtur. Externum enim, utpote quod sanguinem introrsum impellat, ad morbum hunc adaugendum aptius videtur quam sublevandum. Sanguinem autem a

* Interdum autem Hæmatemesis aquâ calidâ copiose haustâ feliciter tractata est.—Vide Home's Life of J. Hunter.

à frigore externo introrsum impelli, exemplis fere quotidianis probatur; Diarrhœâ, scilicet, Dysenteriâ, etiamque Enteritide, ex hac causâ, exortis.

Si accessionem induxerint venena vel acria in ventriculum demissa, hic quamprimum est evacuandus; vel si, quacunque de causa, evacuari nequeat, ingesta lædentia copiose diluenda sunt, et demulcenda, sique fieri possit, corrigenda.

Quod evacuandi modum attinet; dum putare liceat nondum vel ex parte, vel ex toto, venena Pylorum transiisse, medicamenta vomitoria purgantibus jure præferuntur; atque talia esse et ita dari debent, ut quam citissime ventriculum evacuent. Postea vero, vomitorio etiam prospere cedente, securitatis gratiâ, fortasse idoneum erit alvum leniter purgare; male autem vel imperfecte si opus suum egerit vomitorium, in purgantibus vel lotionibus tota evacuandi spes sita est. Cum illis tamen demulcentia atque corrigentia recte conjunguntur. Interdum hæc sola

D malum

malum penitus dimovent; nimirum ubi vomitus satis validus sponte supervenerit.

Ne morbus redeat, causæ excitantes quantum fieri possit evitandæ et amovendæ sunt; proclivitas verò corrigenda.

Cum hic morbus fere semper secundarius sit, morbi primarii, unde provenit, suis quisque remediis, sunt tollendi. His autem sublatis proclivitas plerumque sponte discedit, tumque superest tantùm, ut vasa ventriculi roboremus. In hunc finem medicamenta quædam roborantia data sunt; sed maxime prosunt, copiâ modicâ, diæta satis nutriens, concoctu facilis et quæ parum irritet, exercitatio lenis, atque vestitus qualis cutis halitum constanter, sed modice, eliciat.

FINIS.

EXCUDEBAT GULIELMUS CREECH, ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.